

nudis stellis insignitum, sine imaginum appictione, majores stellas à minoribus peculiari colore vel aureo, vel argenteo, vel alio discernas, & viam lacteam albo, spatia inter stellas vacua coeruleo colore tingas, vel ut alium globum illumines.

Præparato sic Planisphærio, vel quacunq; ratione alia cuivis placuerit, tria potissimum Speculator observabit; 1. *Locum*, 2. *Tempus* & 3. *Cæli stellarumque positum*.

De Loco 3. potissimum notandâ: 1. Ut sit conveniens. Talis igitur eligatur, sive *in urbe*, sive *extra eam*; vel *in domo*, ejusque parte editiore, vel *extra eam in area patente*; ubi 4. *mundi partes seu plage optimè conspici possunt*. Ante omnia enim diligenter observandum, quorsum *Oriens* & *Occidens*, *Septentrio* & *Meridies* in loco aliquo vergat: idque omnium certissimè compassi beneficio indagabitur. Aliàs *Orientem* & *Occidentem* facilè ortus & occasus ☉ vel ☽ monstrat: *Æquinoctialis* quidem exactè inter *Sept.* & *Merid.* medius, quando in principio ♃ & ♄ versantur: *Æstivus* versus boream recedit, quando in ♅ & ♆: *Hibernus* deniq; magis versus austrum deflectit, cum in ♁ & ♂. Plærunque autem oriens ex templorum positu sciri potest: Semper enim ortum spectare solent in illis altaria. Facie itaque versus ortum directâ, ex opposito seu à tergo erit occasus: ad sinistram septentrio & ad dextram meridies. Si verò vultum versus *Ursam alterutram vertis*, *Septentrionem* vides, à tergo habes *meridiem*, à dextris est *Oriens*, à sinistris *occidens*, & sic consequenter.

2. *Locus ab initio debet esse constans*. Non enim sæpe varietur, sed quantum fieri potest unus & idem retineatur, donec aliqualem siderum cognitionem tibi acquisiveris. Quâ enim coeli parte hoc vel illud unâ nocte inveneris, sequentibus eodem, vel parum distante loco circa idem tempus iterum invenies: contrâ si alio & diverso in loco illud quæsieris, facilè, præsertim in minoribus hallucinari poteris.

3. Quia verò in Urbibus & oppidis vix talis invenitur, in quo simul & semel omnia, præcipuè circa horizontem posita, videri possint,